



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XVII. Utrum peccata dubia sint necesaariò confitenda?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

QUÆSTIO XVII.

Utrum peccata dubia sint necessariò
confitenda?

Vicar. **L** Ego apud D. Angelicum in
4 dist 21. Q. 2. art. 3. quòd
quando aliquis dubitat de aliquo pec-
cato an sit mortale? teneatur illud
confiteri dubitatione manente.

Sac. Ex hac doctrina ego concludo,
quòd si quis habeat dubium propriè di-
ctum, aut de peccato mortali commis-
so, aut nondum confesso, stante tali
dubio teneatur ad confessionem, &
consequenter peccata dubia ut pro-
priè dubia necessariò esse confitenda.

V. Cur interponis *ly propriè dubia*?

S. Ideò: quia circa peccata, an sint
commissa simpliciter? vel supposito,
quòd sint commissa, an sint mortalia?
vel deniq; supposito quòd sint morta-
lia, an jam fuerint in aliqua priore
confessione explicata? potest occur-
rere dubium, vel *proprium*, vel *impro-*
prum. *V. De-*

U. Declara utrumque.

S. *Dubium propriè dictum* est suspensio intellectus neutram partem contradictionis positivè judicantis per affirmationem vel negationem: *dubium verò impropriè dictum* est iudicium quo intellectus alterutram contradictionis partem iudicat esse probabiliter veram propter aliquod rationabile, non tamen evidens motivum.

U. Quid si intellectus hæretet suspensus ex defectu omnis motivi, vel saltem ex defectu motivi sufficientis ad formandum iudicium probabile?

S. Aderet *dubium propriè dictum*, sed *negativum*, quale accideret v.g. in illo, qui recordaretur se habuisse tentationem ad peccatum grave, & inciperet dubitare de consensu ex hoc præcisè fundamento, quòd sit homo fragilis, & subinde simili tentationi consenserit, quamvis etiam sæpius illam superaverit, tale namq; fundamentum, utpote nimis leve, & per se insufficientis ad

ad iudicium probabile, faceret resul-
tare *dubium propriè dictum negativum.*

U. Ergo necesse erit quoq; asserere da-
ri *dubium aliquod propriè dictum posi-*
tivum?

S. Omnino: & tale est suspensio iudi-
cij orta ex æqualitate rationum proba-
bilium, per se sufficientium ad iudici-
um probabile, quando videlicet pro
utraque parte contradictionis occur-
runt rationes probabiles & æquales, ut
vî earum intellectus sibi relictus non
determinetur, potius ad hanc, quam
illam partem affirmandam, adeoque
manet in æquilibrio, nisi illum volun-
tas determinet ad unam partem, quæ
voluntatis determinatio, si non acce-
dat, manet *dubium positivum propriè*
dictum, si accedat, tunc ex dubio fit
opinio, seu iudicium probabile.

U. Adverto te affirmaturum peccata
propriè dubia esse confitenda, sive du-
bium sit *negativum*, sive *positivum.*

S. Sic docentibus & dicentibus subscri-
bo,

bo, vulgare namq; est Theologorum dictum, quòd nunquam liceat operari contra conscientiam dubiam, ideoq; nec licet omittere confessionem stante ejusmodi dubio in sensu expresso: praterquam quòd operatio non procedens ex conscientia, vel certa, vel probabili, dictante ejusmodi operationem esse licitam, sit peccaminosa, sic autem est, quòd si homo operetur stante dubio propriè dicto talis operatio non procedat ex conscientia certa aut probabili, dictante illam esse licitam, *igitur &c.*

U. Cur dicis: stante dubio?

S. Propterea, quia si ejusmodi dubium deponatur, & mutetur in judicium probabile, licebit omittere confessionem, & sufficet de tali peccato jam impropiè dubio conteri, ad quam contritionem homo tenetur in tali casu ex præcepto charitatis erga seipsum.

U. Ex responsione tua infero, si Pœni-

nitens obligatur de peccato improprie dubio conteri, obligabitur quoque peccata improprie dubia confiteri?

S. Nequaquam: ex quo enim probabiliter iudicat se vel non peccasse mortaliter, vel tale peccatum jam ante confessum esse, non obligatur confiteri: ad contritionem autem in casu depositionis dubij observati, dixi obligatum esse ex precepto charitatis erga seipsum ad contritionem, quia licet ipse iudicaret probabiliter se non peccasse mortaliter, posset tamen a parte rei esse, quod verè peccaverit, & consequenter delictum remissum non sit, adeoque per contritionem procurabit esse in statu gratiæ omni meliori modo, quo in tali statu constitui potest.

U. Affirmas obligationem esse confitendi peccata proprie dubia & per nequaquam paulò antè expressum excludis delicta improprie dubia, peto rationem negationis?

S. Pro ratione adduco comunem Theolo.

ologorum doctrinam asserētium conscientiam probabilem seu iudiciū probabile esse sufficientem ac tutam regulam humanarum actionum, posseq; quemvis adhærere motivo probabili relicto motivô opposito, æquè, aut etiam magis probabili: cùm itaq; habens *dubium inpropriè dictum* probabiliter iudicet, se non peccâsse mortaliter, aut tale peccatum mortale jam confessum fuisse, poterit licitè hoc iudicium sequi, & confessionem omittere.

V. Non videtur posse omittere, quia de peccato inpropriè dubio tenetur homo conteri saltèm ex præcepto charitatis erga se ipsum, & consequenter etiã datâ opportunitate conteri, siquidem in contritione continetur votum confessionis.

S. Utiq; in contritione continetur votum confessionis, sed prout à CHRISTO præcepta, sola autem confessio peccatorum, quorum quis conscientiam habet, est à CHRISTO præcepta, ergo dum

dum erit iudicium probabile peccatum non esse commissum, non erit obligatio confitendi.

U. Sed numquid est consuetudo, & praxis universalis fidelium confitendi peccata etiam improprie dubia?

S. Nunquid etiam est universalis praxis fidelium confitendi venialia? ex qua tamen consuetudine nulla oritur, aut probatur lex obligans ad confessionem venialium.

U. Est commune dictum, in dubijs tutiorem partem esse eligendam?

S. Hoc dictum locum habet in ijs dubijs, quæ proprie sunt dubia, non autem in iudicio probabili, quod dicitur dubium improprie tantum.

U. Ergo saltè ille, qui certò scit se peccasse mortaliter, & non scit certò, sed tantum probabiliter iudicat se illud peccatum jam confessum fuisse, non liberatur à debito confitendi?

S. Etiam ille.

U. Quid respondes? putasnè debito
cer-

certo satisfieri per solutionem incertam?

S. Opinor debito certo non satisfieri per solutionem omnimodè incertam, nempe talem, quæ est propriè dubia, qualis est illa, de qua nec probabile habetur iudicium, existimo autem satisfieri per solutionem, de qua habetur probabile iudicium, licèt non habeatur plena certitudo, quemadmodum præcepto certo recitandi Breviarium satisficit per recitationem probabiliter licitam, licèt talis recitatio, & modus orandi horas Canonicas non sit evidenter licitus.

U. Adverte: debitum confitendi peccata mortalia, quæ certò sciuntur esse commissa, est certum, qui autem est incertus, an talia certa peccata sit confessus, est incertus de solutione hujus certi debiti, ergo confiteri tenetur?

S. Fateor esse debitum, aut præceptum certum confitendi illa peccata, quæ certò sciuntur esse commissa, & simul
eti-

etiam certò sciuntur nunquam fuisse confessa, sed nego talem obligationem, aut debitum confitendi tunc, quando peccata probabiliter iudicantur jam in aliqua confessione fuisse explicata; eò ipso enim jam præceptum confessionis definit obligare, & esse certum, quando de ejus obligatione in hac vel illa circumstantia prudenter & probabiliter dubitatur.

V. Cùm tam firmiter asseras non esse obligationem confitendi peccata improprie dubia, conabor tibi ostendere neque confitenda esse delicta proprie dubia.

S. Libenter audiam rationes in oppositum.

QUÆSTIO XVIII.

Continuatur eadem materia.

Vicar. **A**ttende! qui sola peccata proprie dubia confiteretur, nullum aliud peccatum certum adjiciendo, non posset à Sacerdote absolvi,